

vire Deo regnare est. Servi enim Dei simul etiam amici ejus sunt et participes regni; quod non fit in servis regum, quorumcumque tandem. Tali argumento nobilis ille (in confess. S. August. I. VIII. cap. VI.) ex aula Theodosii imp. apud Treviros usus, cum legisset vitam S. Antonii, ad socium dixit: « Dic quaeso te, omnibus istis laboribus nostris quo ambimus pervenire? Quid quaerimus? Cujus rei causa militamus? Majorne esse poterit spes nostra in palatio, quam ut amici imperatoris simus? Et ibi quid non fragile plenumque periculis? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? Et quamdiu istud erit? Amicus autem Dei, si voluero, ecce nunc fio. »

Scivit secundo, vitam saeculi carnalem foedam et bestialem esse, nec hominis dignam. Similis est daemon Naas, Ammonitarum regi, qui premens Hebraeos, in foedus quidem recipere voluit et servos: sed hac lege, ut omnium eruerentur oculi dextri, quo nimirum ad pugnandum inhabiles fierent: carentes enim dextro, nec jaculari in certum, nec pugnare poterant, cum scutum operiat sinistrum oculum, I. Reg. XI. Naas coluber aut serpens exponitur, secundum D. Bonaventuram, in diata salutis, tit. de virtut. cap. II. « Dexter oculus noster (inquit D. Gregorius in illum locum) est intuitus aeternae claritatis; sinister vero oculus est concupiscentia carnis. Dexter ergo oculus eruitur, quando mens ea caecitate percutitur, ut ultra ad videnda caelestia non aperiatur. » Desiderat ergo daemon fide, religione ac pietate christiana, quae Dei servitas est, nos destituere, ut sinistro tantum oculo directos seducat ac projiciat in carnales concupiscentias, itaque cum ipso pugnare nequeamus, sed velut bruta animantia, ejusque jumenta, in sordibus computrescamus. Talis evasit Nabuchodonosor, cum ei datum est cor belluae, Deut. IV. nihil enim aliud nisi fenum et ferinum victum cogitabat; donec datus est illi oculus dexter, quo caelum aspexit et Deum glorificavit. Hoc autem foedus cum diabolo foedum et ignominiosum, adeoque homine indignissimum esse, vel ipse Naas ostendit, dicens: *Ponam vos opprobrium in universo Israel.*

Tertio, scivit fidem et pietatem, ac virtutem initio quidem asperam, in fine vero jucundam esse ac ducere ad vitam. Albula Romanorum aqua, argentea perspicuitate, ingredientibus quidem frigida artubus infert horrorem, postmodum tam leniter calefacit, ac si potionem calidam ebibissent, qui eadem se abluunt, auct. Strabone. Ita virtus, initio quidem nonnihil horrida et aspera, desinit in suavissimam consola-

tionem et laetitiam. Unde dicunt sancti, Psal. LXV. *Transivimus per ignem et aquam* (id est, per graves et leves tribulationes), *et eduxisti nos in refrigerium.*

E contra gaudium mundanorum et servitus satanica desinit in moerorem et desolationem; quemadmodum Jordanis fluvius limpidus, amoenus et dulcis exonerat se et desinit in mare mortuum, foetidum, graveolens, atque, ut appellatur, Num. XXXIV. *salsissimum.* Testantur id reprobi illi damnati, de quibus initio dictum: *Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam, et finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est. Ergo erravimus, etc.* De se autem subdunt: *Lassati simus in via iniquitatis et perditionis, ambulavimus vias difficiles; et ad extremum: In malignitate autem nostra consumpti sumus.*

S. Catharina, post insignes illas victorias, mirifice a Deo coronata et exaltata est, non solum in caelo, sed et in terris. Etenim ad glorificandam ejus innocentiam et candorem virginitatis, decollata pro sanguine lac fudit; deinde, necarnificum manibus indigne tractaretur a ss. angelis in montem Sinai delata et ibidem tumulata est, ubi Deus legem Moysi dedit: denique, factum ejus corpus pretiosum, liquorem fundere cepit, variis morbis salutarem. Quare ipsi imperatores cum universo mundo summis eam honoribus colerunt, et in specie Justinus imp. in loco sepulturae ejus magnificentum templum cum monasterio extruxit. Ubi tale quidpiam factum mundi sectatoribus?

Vidimus te, o Catharina, virginem reverentiam e sapientibus fuisse, vidimus te victtricem carnis, mundi, demonis; et gratulamur tibi victoriam. Nunc ingressa cum sponso ad nuptias, coronas tibi debitas et palmam fers. Aspice nos de caelo, et impetra nobis similes victorias contra hostes illos, ut simul tecum intremus ad caelestes illas nuptias.

CONCIO IV.

MAGNA S. CATHARINAE FORTITUDO.

I. Vicit carnem. — II. Vicit mundum. — III. Vicit demonem.

THEMA.

Mulierem fortem quis inveniet? Procul et de ultimis finibus pretium ejus. Prov. XXXI.

Mirum certe videtur, quod sapientissimus Salomon mulierem fortem asserat non posse inveniri. Numquid ante Christi tempora non fortis erat Jahel, quae Sisaram ducem gentilem, clavo per tempora adacto, affixit ad pavimentum? Judic. IV. Numquid non illa mulier, quae fragmen molae dejecit e turri in caput Abimelech ducis parthidae? Judic. IX. Numquid non fortis Judith, quae pugione amputavit caput Holoferni? Judith XIII. Verum non quaesivit tales Salomon. Ista enim feminae bellicosae quidem et magnanimae fuerant, sed vicerant tantum hostes illos, qui corporibus insidiabantur, non eos, qui animabus. Non debellarunt carnem, non mundum, non demonem. Quid igitur? Quaramus tales post Christi tempora. Reperio in historiis tres mirae fortitudinis feminas: Cimbargim, Ernesti ducis Austriae conjugem, Friderici III. imp. matrem, quae palma potuit clavum adigere in parietem, Cuspin. teste; Elisabetham Caroli IV. imp. uxorem, quae potuit ferream soleam manibus lacerare; Domkam denique virginem Bohemicam, quae ad jactum usque sagittae gestare vaccaem poterat, apud auctorem theatri tragici. Sed nec istae sunt, quas quaesivit Salomon. Haec enim corporis robore alias praecellebant, quod nec laude nec vituperio dignum est. Aliam quaerebat, quae heroica virtute capitales animi hostes debellare posset. Hodie invenimus hujusmodi mulierem S. Catharinam, quae tres illos hostes in uno tyranno stravit: carnem, dum ejus illecebras et faces libidinis extinxit; mundum, dum oblatas ab eodem divitias et regni communionem sprexit; demonem, dum ejus conjugem ducem, philosophos e daemonis faucibus eripuit. In qua fortitudine non multum ablati ab illa trium dierum feminarum. Videamus jam quantum illa superarit.

I. Una e dictis heroinis clavum parieti manu adigit: multo plus praestitit Catharina. Puella erit juvenula, formae pulchritudine florentissima, genere nobilissima. Ejus amore capitur Maximus imp. optatque ejus nuptias. Quomodo non capietur virgo talibus promissis! At vero Catharina virgo talibus promissis! At vero Catharina clavum carni suae infigit, considerans ac res-

pondens duo: primum, jam se meliori ac caelesti sponso affixam ac desponsam esse; alterum, se quantacumque forma praeditam, terram esse et cinerem; pulchritudinem morbo et aetate deflorescere. His duobus clavis cordi et animo impressis facile elusit hostem. Priore illo usa est etiam S. Domitilla, neptis Domitiani imp. quam cum Aurelianus trahere ad nuptias suas vellet, utereturque ad hoc ministerio duarum ejus collactanearum, Euphrosynae et Theodorae eis respondit: « Vos habetis sponso viros nobiles; sed si ignobiles et humili loco nati ab illis vos avocare vellet, num vos illis pareretis? » Responderunt protinus: « Avertat hoc Deus a nobis. » Tum illa: « Magnum ego sponsum habeo, Dei Filium, qui se vitam aeternam daturum promisit iis, qui in ejus gratiam perpetuam corporis castitatem servant, etc. idque promissum confirmavit tot miraculis. » Quibus auditis, non difficulter crediderunt et ipse in Christum, Sur. 12. maii.

Nec minus efficax est alter clavus, meditari scilicet quam fluxa sit corporis forma, et quam a morte deformanda. Adorarunt Babylonii statuum Beli aeream, sed inauratam foris, intus vero luteam. Ea igitur confecta, ait Daniel: *Ecce munerata vestra*, in Graec. Dan. ult. Si aurum abraisises statuam, nil nisi aes et foedum lutum apparisset. Videtur homo formosus aurea quadam statuam esse; sed si pellem ei detrahas, prohi! quam foedum dabit spectaculum! Quam subito exosus! Quam abominabilis! Quam omnibus horrore erit! Exierat aliquando Christus e templo Jerosolymitano cum discipulis suis. Tum unus eorum e numero ostendit ei magnificentiam structuram templi, dicens: *Magister, aspice quales lapides et quales structuram!* Cui respondet Dominus: *Vides has omnes magna edificationes? quasi diceret: Putasne admirandas? Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruat*, Marc. XIII. Sic se habent res cum hominibus forma et ornatu conspicuis. Mirantur eos illi, qui mundo huic dedili. Aspice, inquit, qualis domina! Quam decora! Quam ornata! Sed audi: *Structura est et pulchra quidem, statua est et pulchra; sed brevi subvertetur, et non manebit in ea lapis super lapidem, non os super os; tota dissolvetur et de ea dicetur: Heccine est illa Jezabel?*

II. Altera, ut dixi, soleam equi ferream suis manibus lacerabat. Majus est facinus, quod Catharina edidit. Proponit ei Maximus ingentes divitias, purpuram et communionem regni sui, si ipsi adherere velit. Verum Catharina plane ferream hanc illecebram heroico contemptu quasi stipulam confregit, asserens se martyrii purpuram regiae longe praeferre. Quamobrem mox ner-

vis bubulis toto corpore cæsa fuit, ut sanguineo colore undique ruberet. Fortis etiam hic est laqueus. Ut enim ferrum omnia domat, ita pecunie omnia obediunt. Sed qui frangendum istud ferrum? Cogita divitias seu superflua bona non esse nisi soleas ferreas. Nam primo, ut illæ equum lapsui exponunt et onerant, non ornant; sic et divitiæ: unde I. Tim. VI. ait Paulus, divitiarum cupidos incidere: *In laqueos et tentationes et desideria et noxia et inutilia, quæ mergunt hominem in interitum.* Miraculum est, si ferrum natet: ita si is qui divitiis prægravatur, non delectetur, adeoque ad inferni fundum non raptetur.

Secundo, quia soleis ferreis calcantur equi et muli, non homines, et quidem ut commodius ambulent; sed tamen in malum suum, ut gravia onera ferre et fortius trahere queant, non sibi sed hominibus. Sic divitiæ fere dantur iis, qui terrena solum cogitant, ut eas dispensent, augeant, servant et aliis relinquunt. Equis et asinis, qui pretiosas merces portant, non datur nisi vile pabulum, et relinquitur dorsum saucium a sarcinis. Idem fere contigit divitibus; cum enim suo labore et industria compararint opes, non audent attingere vel absumere, ut vidit Plato, l. I. de rep. Hæredes eorum contra, quia sudore suo eas non pararunt, facile dilapidant; horum igitur jumenta et asini sunt divites. Memorabilis est, inquit Cornelius, in Eccles. cap. XIV. quod scribit Hugo, Rhemis usurarium nummos suos anxie numerantem, ut videret num omnes forent, ne quis quid ex eis decerpisset, audisse vocem de nummis prodeuntem: *Omnes hic sumus, sed cum Gualtero Budello* (id est, asinario; *haudet enim Gallis asinum significat) sumus: ac paulo post defunctum uxorem cum opibus reliquisset Gualtero, qui eas in omnem luxuriam profudit. Itaque usurarius ille asinus fuit, qui opes suas non sibi, sed asinario suo Gualtero portavit. Sic vos non vobis fertis opes, asini.*

Tertio, equis et mulis, postquam expirarunt, imo quandoque adhuc spirantibus, soleæ abstrahuntur, illorum vero cadavera ad corvos abjiciuntur: idem sæpenumero contingit avaris, ut eorum opes ab hæredibus diripiuntur; ipsi vero in vermium pabulum dati, oblivioni mandentur. Ita cap. XX. Jobi dicitur: *Divitias, quas devoravit, evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus.* Quam sententiam sic illustrat Nicetas: « Quemadmodum qui noxium aliquem cibum sumpsit, una cum eo probos etiam emovit; sic qui inique congerendis opibus studet, non solum ipsas, sed etiam quas jure possidebat, plerumque amittit.

III. Ultima heroina vaccam gestavit ad jactum

sagittæ. Multo excellentius est quod gessit Catharina. Quidnam vero illud? In mentem nobis veniat somnium illud, sanctum utique et validum, quo s. noster Xaverius antequam mitteretur ad Indos, somniavit se gestare Indum nigrum, qui valde eum prægravaret: quo indicabatur eum Indos docturum, et sua industria ac labore gestaturum ad cælum. Talem etiam sarcinam gestavit Catharina, multos infideles, rudes quasi vaccas, quinquaginta philosophos, conjugem Maximini. Porphyriem ducem cum 200. militibus, quos sua doctrina et sapientia ad Christum adduxit, imo et martyres fecit, atque ita in cælum portavit; Maximinum denique, ipsum multis rationibus simul et objurgationibus ab immani idololatria revocare, atque in humeros suos suscipere contendebat; tametsi frustra. Quis hoc expectaret a femina, eaque juvenula? Nos etiam pro modulo nostro eam imitabimur, si et ipsi studeamus errantes ad viam veritatis reducere. Hoc enim opus maximæ charitatis est, oves errantes requirere, et impositas in humeros ad Christum afferre, qui eas sanguine suo emit. De qua re S. Jacobus, cap. ult. ait: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum,* hoc est, multa peccata, tum ejus quem convertit, tum sua, tum aliorum qui scandalizantur in eis. Maximum beneficium præstares alicui, si quem naufragum natando humeris tuis et mari efferres, vel alium ex incendio eriperes. At qui corrigi errantem, de morte animæ æterna eripit, unde Judas, in sua epist. ait: *Salvat illos de igne rapientes.*

Alphonsus Albuquerque Indiarum prætor, anno 1512. Zamatræ oram prætervectus, coorta tempestate, et navi ad rupem allisa, puppi in saxo subsidente, advertens infantem aquis in navem influentibus pene mergi, illum sublatum humeris tantisper sustinuit, dum aliud ex navi auxilium adveniret, sic effatus: *Hujus innocentia fretus, confido me Christi benignitate e fluctibus emersurum.* Idque mox contigit, scapha una ex alia navi ad prætoriam ejus impulsa, ipsumque eripiente e præsentis naufragio, Osor. lib. VIII. ter. Emman. Aderit etiam ac multo magis Deus singulari gratia et auxilio iis, qui alios eripiunt naufragio animæ.

Neque dicat aliquis se illitteratum esse; non posse proinde cum Catharina convertere errantes. Possunt enim et rudes alios convertere precibus et lacrymis, necnon sana correctione. Quis nescit quot animas S. Augustinus gestaverit ad cælum? Et unde hæc illi vires? Ipse eas adscribit precibus et lacrymis sanctæ matris suæ. Unde vero Au-

CONCIO V.

POENA INFERORUM CUR ÆTERNA.

I. Quia divina majestas læsa est infinita. — II. Quia peccator suam felicitatem in creatura constituit. — III. Quia voluisset semper peccare, si semper vixisset. — IV. Ut beati semper videant supplicia inferorum. — V. Quia peccatum tollit principium vitæ spiritualis. — VI. Ut homines a peccatis compescerentur.

THEMA.

Clausura est janua. Matth. XXV.

Sancta Catharina claudit plerumque annum ecclesiasticum, qui incipit ab adventu, unaque lætitiarum sæcularem. Sed video aliam insuper januam, quam claudit in hodierno evangelio, januam regni cælestis quæ claudetur reprobis et fatuis hominibus, et quidem adeo fortiter, ut in omnem æternitatem nequeat reserari. Expertæ sunt hoc fatuæ; experientur omnes damnati. Qualis heu ista clavis! Qualis hæc clausura! Hanc admiratur Ecclesia, in adventu exclamans: *O clavis David quæ claudis et nemo aperit!* Et qua tandem ex causa non aperiet amplius Deus reprobis januam misericordiæ per omnem æternitatem? Videamus si non causas, saltem congruentias tam profundi hujus mysterii, quas afferunt ss. patres.

I. Communiter doctores hanc dant causam. Quia Deus, qui offensus est, infinitæ auctoritatis est. Clarum vero est crescere gravitatem peccati pro dignitate personæ offensæ, uti etiam agnovit Aristoteles, V. eth. cap. V. ubi ait, eum, qui a magistratu percussus est, repercutere non debere. Qui vero magistratum percussit non solum repercutiendum, sed etiam supplicio afficiendum. Quia vero pena peccati intensive infinita esse non potest, ergo saltem debet esse infinita extensive, hoc est, carere omni fine. Declarare istud possumus ex visione Nabuchodonosoris regis, Dan. II. ubi vidit lapidem abscissum de monte sine manibus incidisse in statuam grandem et intuitu terribilem, eamque contrivisse, neque crevisse in immensum montem, qui implevit universam terram. Statua illa grandis et aspectu terribilis, ex auro, argento, ære, ferro, quatuor summas orbis monarchias designavit ad litteram; mystice Deum denotat. Lapis abscissus de monte, est peccatum devians a lege Dei: incidit hoc in Deum, et quantum, in ipso est, destruit illum; sicque crescit in immensum quasi montem, qui totam terram implet; adeoque insuperabile est ab humanis viribus, et insolubile, ve-

ut immensum debitum, per omnem æternitatem luendum. Confirmatur, quia tanta est malignitas peccati mortalis, ut nullis bonis operibus puræ creaturæ potuerit ex æquo compensari; sed hoc necessarium fuit Deum incarnari, ut condigna satisfactio divinæ justitiæ exhiberetur; quid ergo mirum si dicatur mereri pœnam æternam? Quod enim ad hoc malum est, ut nullis bonis, quantumvis longo tempore continuatis, compensari et exæquari possit; nonne meretur pœnam quovis tempore longiorem? Ita Leon. Lessius, de perfect. divinis, l. XLI. c. XXVI.

II. S. Augustinus, epist. XLIX. q. IV. dat istam: Quia peccator sic peccat, ut totum suum amorem et perpetuam felicitatem, quantum in ipso est, in creatura constituat. Nam, ut explicat S. Thomas, lib. III. contra gentes, c. CXLIV. si temporalem felicitatem et bonum fluxum æterno bono præferri non dubitavit, multo magis id fecisset, si felicitas illa ac bonum creatum æternum fuisset; cujus rei signum est, quod peccator sæpe etiam vitam et oculos, quibus nil pretiosius habet, pro exigua voluptate vendat; sicut ille, qui, apud Martialem, oculis potius quam ebrietati valedicere voluit. Audiens enim a medico, se, nisi poculis absterneat, cæcandum: *Valebis*, inquit, *ocule*, et sibi indulgens, crebro misceri jussit, sicque oculos perdidit, lib. VI. epigramm. Simile refert S. Ambrosius, lib. IV. in Luc. de alio Veneri debito, cui cæcitas prædicebatur a medico, nisi se contineret: *Vade, amicum lumen*, ait. Idem dicunt Deo et æternæ felicitati, cui præferunt Bacchum aut Venerem suam: quid mirum si æternum puniantur, qui æternum bonum spreverunt et momentaneo posthabuerunt?

III. S. Gregorius, lib. IV. dial. cap. CXLIV. dat hanc, quia: « Voluissent utique, si potuissent, sine fine vivere, ut potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim quia in peccato semper vivere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare, dum vivunt. » Unde statim infert: « Ad magnam igitur justitiam judicantis pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato. » Huic accedit S. Augustinus, qui in epist. XLIX. ad Deogratias: « Voluntas, inquit, punitur, quæ æternam voluit habere peccati fruitionem; et ideo æternam vindictæ inveniet severitatem: » rursum, l. de pœnitent. « Qui impœnitens finitur, ait, si semper viveret, semper peccaret: » et S. Bernardus, epist. CCLIII. ad Guarinum: « Si nunquam moreretur, nunquam velle peccare desineret, imo semper vivere vellet, ut semper peccare posset. » Certe prava voluntas resoluta deliberate ad peccandum, quandoque

ita se obfirmat Deoque opponit, ut nullis dehortationibus, præmiis vel pœnis propositis tam extensive quam intensive velit omittere peccatum. Id apparet in Pharaone, qui nullis plagis et miraculis a sua contumacia; in Juda, qui nullis monitis et beneficiis a proditoria voluntate; in sacerdotibus Judæis, qui nullis modis ac mediis poterant revocari ab occisione Christi, non Judæ attestacione et desperatione, non Pilati resistantia, non uxoris ejus testimonio, non prodigiis, etc. Quid mirum si Deus vicissim ita se obfirmet, ut nullis eorum precibus, clamoribus, lacrymis moveatur amplius ad miserandum, sicque claudat januam misericordiæ suæ in æternum?

Vidimus sæpe lusores ita ludo addictos, ut finem imponere nesciant, lusinga tota nocte, nisi lumen eis extingatur. Sic Mechlinia, anno 1546. conflagrante urbe ex fulmine, lusores in domo cauponis, nomine Croes nihilominus continuaverunt lusum, moxque vi tempestatis et turbine, avulsa domo, lusores abjecti reperiunt adhuc retentis in manibus chartis lusoriis (Gilb. Cognato, lib. VIII. narrat. auctore) solo caupone salvo; qui in cellam pro zytho iverat. Optime his quadrat, quod de similibus iræ et odio obfirmatis dicitur, Ezech. XXXII. *Descenderunt in infernum cum armis suis, et posuerunt gladios sub capitibus suis et fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum, quia terror fortium facti sunt in terra viventium.* Mare retinet suam amaritiam, etsi ingens vis aquarum dulcium ex tot tantisque fluminibus continuo in illud influat: ita reprobati suam servant malitiam, licet innumeris Dei beneficiis perfundantur: ac quemadmodum mare nunquam emendaret suam amaritiam, licet flumina dulcia per omnem æternitatem hauriret; ita arbitrandum nunquam emendandos fore improbos, si eadem gratiarum flumina, per quæ emendati non sunt, æternum eis affluerent.

IV. S. Gregorius ibid. addit istam: « Ut justi omnes et in Deo videant gaudia, quæ percipiunt, et in illis (damnatis) respiciant supplicia, quæ evaserunt; quatenus tanto magis in æternum gratiæ divinæ debitores se esse cognoscant, quanto in æternum mala puniri conspiciunt, quæ ejus adjutorio vicerunt. » Ad hæc pars præmi electorum est, videre inimicos Dei et suos puniri: quia ergo præmium illorum æternum erit, consequitur ut pœna reprobatorum æterna sit. Cum Amalec, Hebræos per desertum peregrinantes ac terram promissam bello infestasset sine causa, et extremos agminis lassos cecidisset, Deus non solum percussit eos, duce Josue, in ore gladii, sed insuper jussit hanc illorum insolentiam in commentarium inscribi, ut futuris sæculis rursus ulcisceretur.

Juravit insuper solum suum, quod: *Bellum Domini erit contra Amalec a generatione in generationem*, quasi diceret: Immortale odium et bellum, Exod. XVII. Idque recoquit et de novo commendat Moysi, Deut. XXV. *Memento quæ fecerit tibi Amalec, etc. Delebis nomen ejus sub caelo. Cave ne obliviscaris.* Denique, post aliquot sæcula, recensuit quæ fecit Amalec Israeli, et præcepit Sauli, ut omnes exterminaret a maximo ad minimum, I. Reg. XV. Pari modo, quia impij persecuti sunt sanctos in hac vita sine causa, et implacabili odio, vult Deus illos persequi immortali etiam odio, sicque eorum malitiam perpetuo recenset quasi sanctis suis, ut de hostibus suis et ipsi vindictam sumant. Justinianus J. imp. regno simul et naso truncatus a Leontio ostro, ubi regnum recuperavit, quoties nasum suum emungeret, toties hostium suorum, quorum satis magnum numerum captivum habebat, unum produci et mactari jussit, Fulgos. l. IX. Infinitus gravius est Deum offendere, quam hominem: quid mirum si infinitis pœnis offensa Dei plectatur?

V. S. Thomas, l. II. qu. LXXXVII. art. III. dat hanc; quia peccatum ex natura sua tollit principium vitæ spiritualis, scilicet charitatem, et infert mortem animæ, nec potest restaurare ordinem quem violavit, convertendo se ad Deum. Unde sequitur esse irreparabile, et consequenter mereri pœnam æternam: sicut cum pupilla oculi corrumpitur, irreparabilis est visus. Quia ergo in perpetua Dei inimicitia manent inferni, nunquam ei satisfacere possunt: sicque culpa semper stante, stare semper pœna debet, quæ illam sequitur, sicut umbra corpus. Sic Tiberius Cæsar cuidam inimico pœnæ maturitatem precanti respondit: *Nondum tecum in gratiam redii*, Suet. lib. III. cap. VI. Vulgo dicitur: *Lunæ radiis non maturescit botrus*. Nox est apud inferos, qui extra statum gratiæ sunt: nunquam ergo ibi maturescet botrus, nunquam ad maturitatem perveniet gratiæ et satisfactionis: *Venit nox, quando nemo potest operari*, ait Dominus, Joan. IX. Artifex, qui non solum bonis suis, sed etiam instrumentis artis suæ spoliatus est ob debita contracta, quando se exsolvet debitis? Et hoc est, ni fallor, chaos illud magnum, quod firmatum est inter inferos et superos, de quo Dominus, Luc. XVI. ut nemo ab illis unquam emergere ad istos queat; quia præcipitium ingens et impermeabile omni via caret, qua superari possit.

VI. S. Gregorius, loco supra cit. *Quid si quis dicat, inquit: Idcirco peccantibus æternam pœnam minatus est, ut eos a peccatorum perpetracione compesceret?* Ita sane arbitrator, non solum ideo comminatum esse, sed revera ideo decrevisse, et juste

quidem; quia alias libidinem hominum tam effrænem et ad peccandum pronam coercere non potuisset. Si enim modo, cum sciunt homines decretam peccato esse pœnam æternam, plerique nihilominus tam enormiter et tam facile delinquant; quid facerent, si pœnam non nisi temporalem sibi luendam scirent? Hanc etiam ob causam fures jure per suspendium vita privantur, tametsi alioquin damnum datum compensare possent re æquivalente, adeoque pœna levior, neque præcise ob furtum mereantur vitam amittere, juxta S. Thomam, II. II. quæst. LXVI. artic. VI. ad II. (Unde et in veteri testamento, Exod. XXII. restituere solum cum fenore vel venundari jubentur) ad coercendam nimirum furandi libidinem et conservandam reipublicæ pacem. Si enim adhuc et sub ipso patibulo furantur, quid fieret si patibulum ipsis decretum non esset? Videtur ergo hæc genuina et adæquata causa: Voluntas legislatoris desumpta ex statu ipsius culpæ, quæ de se æterna et irreparabilis est, sicque jure addicta pœnæ æternæ, ad coercendam peccandi libidinem. Unde qui eam eligit, censetur eligere pœnam æternam, ei annexam ex natura ipsius peccati et voluntate legislatoris. Quare indigni commiseratione sunt, et accini eis potest, quod Julius Cæsar de noxiis interemptis, in quæstione dixit: *Hoc voluerunt*, Suet. in Jul. Cæs. Sane si scirent impij finendas aliquando ipsorum pœnas, Deo magis insultarent, etiam in inferno, eo quod expectarent venturam tandem liberationem et subtractionem ab ejus jugo et imperio. Hanc enim ob causam vult Christus non metuendos esse tyrannos; quia post occisionem corporum, jam non habent, quo eis noceant. Ergo ne cogitare possint de Deo quoque impij, non timendum eum, qui post elapsam pœnarum suarum quantumcumque durationem, non haberet amplius quid eis faceret, debent eorum pœnæ nunquam finiri. Quando igitur tam obscurata et occlusa est cæli janua, quid agendum nobis? Nunc intrandum, dum aperta est. Movit hæc cogitatio sub initium ordinis S. Dominici virum quemdam præclarum, et e sæculo extraxit. Cum enim Reginaldus, unus ex præcipuis illius familiæ, magnum hominum concursu et approbatione verbum Dei prædicaret, Monetis (sic enim is appellabatur) de industria illius congressum et sermonem fugere consueverat, multum sibi ab eo metuens. Tamen in S. Stephani martyris natali ad ejus concionem comitum importunitate pertractus, primis statim verbis captus est, cum illam vocem exponi audiret: *Ecce video celos apertos*. Ita enim discurrebat: Nunc quidem cæli portas ad beatitudinem patere, ita ut

quavis ingredi possit; qui autem negligentes essent, et qui Deo cor suum clauderent, iis vicissim cœlos claudi, ut deinde intrare non possint. Nec pluribus opus fuit. Statim enim corde immutato, qui ad eam horam tam alienus fuerat a religione, religionis voluntatem concepit: finita concione Reginaldum adiit, animum suum exposuit, eumque voti etiam vinculo confirmavit, Hieronym. Platus, lib. III. de bono stat. relig. cap. XXXVIII. Non postulo tam multum a vobis, auditores. Vigilet saltem quisque ut in tempore intret, dum ostium apertum est. Monet enim serio Christus, Luc. XIII. *Contendite intrare per an-*

gustam portam, quia multi, dico vobis, quærent intrare, et non poterunt. Dum autem intraverit paterfamilias et cluserit ostium, incipietis foris stare et pulsare ostium, dicentes: Domine, aperi nobis. Et respondens, dicet vobis: Nescio vos unde sitis. Asperum hoc verbum et omni terrore terribilius ne contingat nos audire, præparemus lampâdes nostras una cum prudentibus virginibus, dum tempus superest, ut cum Domino Jesu, dulcissimo sponso nostro, intrare mereamur ad cœlestes nuptias, nunquam finiendas per omnem æternitatem.

INDEX MATERIARUM

ET
RERUM PRÆCIPUARUM
quæ in operibus P. Fabri continentur.

Prior numerus indicat tomum, posterior vero paginam; et litteræ *a* auctarium, *c* conciones et *n* numeros significant.

ACE	ADV
<p style="text-align: center;">ABSOLVO</p> <p>Potestas absolvendi peccata quam potens sit. Dom. i. pasch. c. iv. <i>a.</i> III 40</p> <p style="text-align: center;">ABSTINENTIA</p> <p>Abstinencia a carnibus tempore præcepti cur rigide servanda. Dom. iv. quad. c. vii. per tot. II 22</p> <p style="padding-left: 20px;">I. Quia præcepta. II 22</p> <p style="padding-left: 20px;">II. Quia sub peccato mortali. II 23</p> <p style="padding-left: 20px;">III. Quia sub censura Ecclesiæ. II 24</p> <p style="padding-left: 20px;">IV. Quia sub periculo scandali. II 25</p> <p style="padding-left: 20px;">V. Quia impugnatura diabolo. II 26</p> <p>Abstinencia commoda. Dom. vii. pent. c. i. n. i. III 857</p> <p style="text-align: center;">ACCEPTIO</p> <p>Persona non accipienda. Dom. xxii. pent. c. ix. n. iii. IV 768</p> <p>Acceptio personarum vitanda. Fest. S. Mariæ Magd. c. viii. n. i. VI 70</p> <p>Acceptio personarum vitanda. Fest. S. Bartholomæi, c. v. n. i. <i>a.</i> VI 274</p> <p style="text-align: center;">ACEDIA</p> <p>Somnolencia quam noxia. Dom. v. epiph. c. vii. n. i. I 467</p>	<p>Pigri et negligentes quasi paralytici. Dom. xviii. pent. c. ii. n. iv. IV 535</p> <p style="text-align: center;">ADULATOR</p> <p>Adulatorum mores et nequitia. Dom. xxii. pent. c. i, per tot. IV 767</p> <p>Adultores repellendi. Ibid. c. ix. n. i. IV 767</p> <p style="text-align: center;">ADVENTUS</p> <p>Quid faciendum per adventum. Dom. ii. adv. c. i. per tot. I 53</p> <p style="padding-left: 20px;">I. Carni quid detrahendum. I 54</p> <p style="padding-left: 20px;">II. Expianda conscientia. I 54</p> <p style="padding-left: 20px;">III. Meditandus adventus Christi. I 55</p> <p style="padding-left: 20px;">IV. Desiderandus Christus. I 55</p> <p style="padding-left: 20px;">V. Eleemosyna augenda. I 56</p> <p>Adventus Christi ad iudicium typus. Dom. ii. quad. c. ix. n. vii. I 795</p> <p style="text-align: center;">ADVERSITAS</p> <p>In adversitate non cessandum a bonis operibus. Dom. ii. adv. c. x. n. ii. I 82</p> <p>Adversitatis, famis præsertim tempore quid faciendum. Dom. iv. epiph. c. iv. per tot. I 408</p> <p style="padding-left: 20px;">I. Patientiæ scutum obijciendum. I 408</p> <p style="padding-left: 20px;">II. Sperandum in Domino. I 409</p> <p style="padding-left: 20px;">III. Vires nostræ addendæ. I 410</p>